

**Tractationis de articulis ligamentis et musculis incessu dirigendis
supplementum ... / August. Frider. Waltherus.**

Contributors

Walther, Augustin Friedrich, 1688-1746.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Literis Joan. Christiani Langenhemii, [1731]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ugubzjca>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MEDICAL
SOCIETY
ARTICVLIS LIGAMENTIS
ET MVSCVLIS INCESSV
DIRIGENDIS
SUPPLEMENTVM
TABVLAMQUE NOVAM
PLANTAE HVMANI PEDIS
EXHIBENS
AD ANATOMEN PVBLICAM
CADAVERIS MASCVLINI
D. XXIV. NOVEMBR. M DCC XXXI. ET SEQV.
HORA POMERID. II. IN THEATRO ANATOMICO
SPECTANDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM,
ILLVSTRISSIMOS COMITES,
VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES,
ET GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS CIVES,
OMNESQVE ANATOMES STVDII
FAVTORES
OFFICIOSISSIME INVITAT
AVGVST. FRIDER. WALTHERVS
ARCHIAT. REG. ET PROF. PVBL.

LIPSIAE
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.



EXERCITATIONE ANATOMICA
PLANTAE PEDIS HVMANI
TENERIORES MVSCVLOS
INTEROSSEOS
ATQVE
LIGAMENTA OSSIVM
CLARIVS DOCET,
TABVLAM VERO NOVAM
TRADIT
AVGVSTINVS FRIDER. WALTHERVS



xhibet vulgaris humani pedis anatomie, tam vasorum, quam muscularum, facile obuiorum, tendinumque prospectum; sed curatior, abditos interosseos musculos, perinde, ac notabiliora vincula ossium compaginatorum docet; etiamsi haec pinguedine, aut membranis condita sint, pluribusque de cauissis, et admodum aegre, cultro anatomico discernantur. Quem nos ossium, rerumque plurium, et ipso vitae usu dirigendarum, saepe in valetudine hominum aduersa dolentium, et male affectarum, scrupulosius rimari nexum coepimus *Tractatione de articulis, ligamentis, et musculis incessu dirigendis.* Sed, inter alia, earundem rerum omnium, praesertim in planta pedis altiore consistarum, et, communiter ab anatomes Scriptoribus neglectarum, tum maiorem esse numerum, diuersum-

A

que

que prospectum cognouimus, quam, ut cuncta, pro dignitate explicarentur, ac l. c. minori Tab. II. et, quantum expediebat, iconē adparerent oculis; nedum, ut sublimioris, scilicet, minus ita motis e suis sedibus, peronaei longi, et tibialis postici, musculorum tendinibus, nihilo minus interstinctae pedis plantae omnis loca, representari eodem tempore, ac luculenter satis exhiberi possent. Quare iteratum nostrum, nouumque desiderari laborem intelleximus, quo secundum naturalem omnium ordinem, ac pedis, plantaeque longitudinem, ita vero magis perfecte in lucem prodirent, unoque propemodum obtutu prospicerentur, quaecunque demum natura in interna pedis planta connexuit, et occultauit. Quae, sicuti abscondita satis haerent, neque sine labore exiguo anatome reteguntur, et clarius notantur: ita maiori solitudine, studioque, cuncta delineantur, et in aes inciduntur. Verum, nos plurium interosseorum musculorum arctior nexus: deinde vero insignior rerum distinguendarum numerus, ac grauiores aliae mouerunt caussae, ut picturam sicci, arteque anatomica elaborati humani pedis, secti recens iconi, et quidem huius caussa expositionis, praferendam, addendamque hoc loco putaremus; recentis enim uero anatomen, quantum refert, modo verbis declaratur: istius vero luculentiorem tabulam sicci pedis, simul, et cum cura exhibituri. Quare obseruationes, e novo sectionis exemplo iam conferendas, tabulamque adiectam, ad illa, quae in hoc genere nuperrime conscripsimus, pariter accommodare diligenter studebimus; alia quippe iam dilucidaturi, non nulla vero suppleturi, denique quaedam emendaturi.

Eminent sub metatarso interossei septem musculi,
 et omnes, hoc inferiori plantae pedis loco vix minori
 discernuntur labore, quam quidem in manibus, ac me-
 tacarpo, eiusdem cognominis sex alii cognoscuntur, et
 accurate distingui solent. In eo autem interuallo, quod
 est inter os metatarsi, quod pollicem sustentat, et inter
 id, quod primum digitum fundat, tantum interosseus
 primus habetur; et hic crassior praे reliquis musculus
 est, atque originem tendinosam ab cuneiformi osse pri-
 mo, et eius, perinde, ac secundi ossis metatarsi capitis
 inferioris commissurae loco accepit; deinde, ubi ipse
 progreditur, tunc ad latus internum secundi meta-
 tarsi ossis, in pede deuexo, tanquam ad propriam se-
 dem, adnascitur, longeque minus ita, ad primi ossis,
 quod opponitur, latus adhaeret; ac tandem is, ante ca-
 put metatarsi ossis, quod ad indicem pertinet, amplio-
 rem tendinem, validioremque mittit. Atque hic ten-
 do, latiore aponeurosi, cum orbiculari indicis articuli
 primi ligamento, pariter, cum obductione illa transuer-
 sa, ac membranosa, quae his locis veluti luxuriare in se-
 rie articulorum solet, confunditur, atque in primum
 indicis os, ab latere quidem interno, definit: ut validius
 regere digitum, perinde, ac defendere articulum, ipse
 tendo et musculus videantur. Deinde, in numero, tam
 internorum, quam externorum, sed alterne ita conse-
 rendorum muscularum, alter, et externus, iam comme-
 rari debet. Et, quemadmodum, prior ille musculus
 primum digitum versus pollicem, in viuis conuertit; ita
 alter, et, quo de nunc dicemus, ab latere externo eius-
 dem digiti, latiore quoque tendine inseritur; quem
 quippe digitum ipse ab pollice, in viuis abducit; sed,
 nisi nos omnia fallant, tam erit in horum duorum,

quam reliquorum omnium officio musculorum, quod praestant, simul animaduertendus quidam digitos, etiam magis directe, flectendi modus. Igitur secundum ossium, in metapedio, interuallum, superne secundus implet interosseus musculus. Qui, vix altera sui parte, inter os metatarsi secundum, tertiumque demittitur, ac prominet; e quorum etiam ossium commissura capitum, tendinosus, et ita porro carnosus: in primis vero, ex latere ossis metatarsi secundi externo, ipse prodire videtur. Id ita fieri animaduertitur, sicut in pluribus manuum fingendis, interosseis quoque, res accidit; scilicet, ut ex duobus fere locis, oppositisque ossium lateribus, carnosae fibrae, et singulari flexu oriantur, ac confluant; vnde in superiori pede sic pronasci, hic quoque musculus obseruetur. In ossium metatarsi secundo interuallo, perinde, ac tertio, et quidem superne, singulare, ac tendinosum velum, ab secundo, et tertio cuneiformi osse prodit; et idem fila intexta vtrinque profert, musculumque secundum, et quartum contegit, ac firmat. At interosseus modo tertius musculus, partem sui praeципuam demittit; et haec eius pars, ita quidem sub tertio metatarsi osse, et ab latere eius interno visa, etiam cum musculo vicino, seu quarto, communem ex parte originem, inferius habet. Nam posteriori in pedis planta loco, et ab ligamento transuerso, ac iuxta sedem priorem musculi, antithenar dicti, uterque musculus, tertia circiter longitudinis parte, intermedia, veluti linea tendinosa, atque communi coniungitur: reliqua autem parte, tertius ipse musculus, scilicet sub priore, ut modo diximus, et ab latere interno, perinde, atque ab concava parte tertii ossis metatarsi natus, procurrit, ac demum angustiorum tendinem anterius fecit, qui inuoluitur membranoso

noso articuli vinculo digiti secundi, siue medii, et eiusdem ab digiti latere interno, et in primo osse, inseritur. In tertio ossium metatarsi interuallo, prope similis, ac secundi, est quarti positus interossei, externique; sed pars eius, quae in planta visitur, ea longior adparet, et, praeterquam quod haec cum tertio coit, sicut ante notauimus, etiam superne, ab latere ossis metatarsi tertii, et quarti, atque ita supra quintum interosseum, is porro musculus prodit. Iam quintus, et sextus musculus, sicut de tertio, et quarto monuimus, ope intermediae, tendinosaeque lineae, admodum in exemplo cohaerent; qua etiam parte, ab vagina tendinis peronaei musculi vterque prouenit. Itaque secundum digitum quartus musculus extrorsum dirigit: verum quintus, cum ab parte inferiori, latereque interno ossis quarti metatarsi, sed infra praecedentem oritur, tum introrsum isterium digitum mouet. Atque hi quinque musculi paucio altiores in metatarso sedes, praे interosseis duobus reliquis habent; nec nisi quintus, ad maiorem longitudinem eorum muscularum, qui sequuntur, proprius accedit. Proinde sextus iam denuo vocandus externus erit, et post primum musculum ipse crassior praे certis habetur; sed tantum is ab externo latere ossis quinti metatarsi suam originem habet; siquidem, sine fibrarum laceratione, idem ab latere opposito quarti ossis externo, separatur; neque ita fibris, ex utriusque latere ossis confluentibus componitur. Sed praeter ea, peculiarem quoque, tendinosamque sui originem, inferius, hic musculus, ab peronaei tendine musculi, in exemplo; sed saepius ab vagina ipsius eduxit: atque de reliquo, etiam in progressu, noster spatium superne, inter duo ossa visum, pro more quarti, et secundi, ex-

ternorum musculorum implet; scilicet, quod inter os metatarsi quartum, et quintum est; denique vero, iuxta articulum, ipse in tendinem teretem, et robustum abit, digitumque tertium ita extrorsum mouet. De septimo autem interosseo patet: eum sub priori, et osse quinto consitum esse, et fere oriri, quemadmodum de quinto, et tertio musculo nos ante retulimus. Verum, p^rae his saltem crassior ipse septimus, partem sui principii tendinosam, inferius, et iuxta sextum musculum, ab vagina peronaei tendinis adquirit, de reliquo is pergit, et conformatum tendinem, sicut alii interni agunt, etiam ab latere minimi digiti promittit, eundemque ultra primum articulum plantat. Atque in vagina quoque laudati peronaei tendinis, etiam, quodammodo ventrem, quem alii vocant, priorem, musculi illius, ex parte, finem sui tendinis consequi, qui minimum abducere digitum vulgo dicitur, ita, quidem est visum. Verum, de toto hoc musculo abductore magis discrete sentimus, et posterioris partis tendinem explicari animaduertimus; quippe, qui lata produktione sui, priorem vulgo ventrem dictum contegit. At vero, si anatome, et cum cura haec obductio auferatur, tum carnem subiectam in duas distingui partes manifesto adparebit: quarum una inferius, in vagina illa peronaei tendinis, exigueque in osse externo radicatur, inde vero procedit, et minimi digiti, proximo osse, et quidem medio loco, ac supra articulum inseritur, illumque flectere digitum putatur; sicut Cl. HEISTERVS obseruauit. Ab externo autem pedis loco continua-
tur altera pars; quae neque magis musculum abductorem ita digastricum facit, quin potius integrum, et carne sua ad priora prolatum loca, neque vero tendine
medio

medio interstitium, videndum praebet. Superest, hac tractatione neque negligendus, transuersus CASSERII musculus. Et hic, propter peculiarem positum suum ita nuncupatur, tendinemque unum accipit ab externo osse sesamoideo articuli pollicis, arcteque tum ad tendinem adductoris, et ad orbiculare vinculum adhaeret; hinc vero carnosus recedit, et ventre rotundo, et oblongo, sub capitis ossium metatarsi transuersim progreditur, deinde tendinosus denuo in orbiculare quarti digiti ligamentum desinit; nihilo minus, quaedam tendinis pars, ad quintum usque articulum, eiusque orbiculare ligamentum, in hoc nostro exemplo producitur: quod vero aliter, et quidem de carnosis fibris, quippe eo pariter porrectis, DOVGLASSVS adnotauit.

Atque in planta pedis auferantur anatome, quae cunque prospectum rerum, modo declarandarum, prohibent; inter quae etiam musculi pollicem flectentis tendo longior est. Cuius quoque tendinis vagina π propria in Tract. de articulis et ligamentis Tab. II. inferius, sed sub capite tali ossis ϱ , fibrosa et ligamentosa visatur; fibrisque, ab osse nauiculari, ad calcis os, et versus π , oblique antrorum directis constat. Verum haec vagina externe, ab transeunte ligamento H paratur, cum hoc ab calcanei ossis posteriore, et excavata parte, vbi calx educitur, oblique prouenit; quandoquidem idem vinculum, extuberanti posterius tali ossi, anteriorius vero, tuberi calcanei interno, adhaerescit: deinde, hoc vaginam tendinis tibialis musculi postici, et vicini, perforantis dicti, ex parte struit, atque ita desinit. Verum posteriori loco id quoque surgit, et neicitur cum latere postico interni malleoli, ac magis tum crassum

Ligamenta
articuli
pedis com-
munia et

propria in
primis ab
parte inter-
na et poste-
riore visa,
cum Tabu-
lis tractat.
citat. ite-
rum com-
parantur.

sum fit, et firmum. Post vaginam, quam modo diximus, et loco proximo, ad ossis tali latus, calcisque tuber, scilicet, ab inferiore malleoli parte, ligamentum aliud I demittitur. Quod aequa cartilagineum, et tenax est, ac H quidem, propter malleoli posteriorem partem esse censetur. Atque tendo tibialis postici musculi, eiusdemque vagina, hoc ligamentum I ab H satis distinguit, et praeter ea, robore quoque suo, idem I ab priori K ligamento discernitur; etiam si hoc ultimum, de reliquo quidem, non nisi tenuior istius continuatio, sed amplior, etiam ideo potissimum facta, esse videatur, ut ab omni priore parte malleoli, tibiaeque, K vinculum excurreret, et articulum defenderet. Igitur vinculum K cartilagineum illam fibrosam, quae latius super tali ossis ceruice, deinde calcis tubere, et denique nauiculari osse, hac parte funditur, tum obducit, et caute, in anatome inde distinguitur; quippe eandem cartilagineum hoc vinculum K versus malleolum A adstringit: licet de reliquo, et superius, ad usque annulare verum Tab. III. L, quod quippe inuoluit, idem continuetur. Quare L, ab I, et K vinculis, sua insigniorre longitudine, teretique magis forma, aliterque differt; et ideo nos *Tract. de ligamentis* tres quoque has partes, in unum, licet malleolum desinentes, distinximus. Atque haec fere discernuntur vincula, ab parte tibiae articuli, et tali ossis, calcis interna: verum, a parte posteriori, singularis est H ligamenti continuatio, et nexus. Nam idem, ab parte articuli pedis posteriore l. c. Tab. IV, saltem sub talo, ad usque latus extenditur oppositum, et in ligamentum VI. desinit; sed ita quodammodo secus ducitur, atque res l. c. delineari icone commode potuit. Igitur H pariter surgit, faciemque ossis tali poste-

posteriorem, et crassiora vincula VIII, atque IX, post Achillis chordam, scilicet, tanquam eo continuata, ac tenuior obductio occultat; et eius fibras quasdam, partim per decussim, ab uno angulo, latereque, ad oppositum, partim vero aliter ferri, et ad oppositos tendere malleolos constat. Ex quo iam ratio patet, quam obrem V. et VI. ligamenta, licet ad H, quodam iure pertineant, quoad cum illo, ac prioribus, vices orbicularis, et ab periosteo nati, saltem fibrofa cartilagine, crassitie que, varie aucti vinculi gerunt, neque tamen penitus easdem vices explent, tractatione citata nos discernenda statuerimus. Ad illorum igitur numerum teres, et crassum accedere posset, quod n. V. l. c. indicatur ligamentum; sed, hoc crassitie ab omni H quoque vicino differt, sicut evidenti etiam modo ab n. IV. deuiat, neque adeo cum alterutro, anatome confundi debet. De vinculis communibus articuli pedis si dispiciatur, tum aliter omnino sentiendum erit. Nam articulum laxe magis tenet, quam, ut ad munus ligamenti orbicularis, licet e pluribus, et ita distinctis vinculis fingendum id esset, commode accedat, quale quidem n. XV. videndum sistitur; neque vero id ab membrana muscularum communi, saltem hac parte ossi magis adhaerefcente, et pingui differt. Sigillatim, aliud n. IV, tali articulum tibiaeque ossis, nonnisi secundum alia roboret: sicut pars ligamenti XIV, deinde aliud XVI, post propria magis vincula, malleolum vtrinque nectere videntur. Itaque, ante ligamentum Tab. IV, num. V, seu ante g, Tab. III, quod quidem ab K melius, atque icone tum umbraque factum est, discerni debet, loco articuli quidem priori, et tertia propemodum totius ambitus parte, modus ille consuetus plurium articulorum deficit; scilicet, quo concludi orbicularibus

vinculis ossa solent, et colligantur. Neque aliud ligamentum hoc interuallo habetur, quam angustum, sed longius illud L, de quo ante pariter locuti sumus. Omnia vero, si attentis ita cernantur oculis, tum ligamentosas tot productiones, atque tam diuersa ossium conexorum frena, vinculi in locum simplicis, et omnem articulum tibiae, et tali, deinde calcis ossis, exquisitus inuestientis, vel ideo esse concessa, ac mutuam cuncta sibi denique ferre operam, in gressu hominis intelligitur, ut tali quidem ossis caput, in nauicularis sinu ossis, facile, sed tuto conuertatur. Qua porro occasione moneamus: ligamentum, quod Tab. III. cum L m. necatur, et in altiore sinu adumbratur, ad ossis tali ceruicis originem, posteriori magis loco, erigi, et abscondi; ceteroquin conditum pinguedine, robustumque vinculum. Denique ad hanc doctrinam addimus: ligamenta n, et o, saepius ita minus diuisa obseruari, atque ea l.c. visuntur.


*Ligamenta
in planta
pedis porro
visa discer.
nuntur, et
cum Tract.
citata, no-
nusque ta-
bula com-
parantur.*


Iam de ligamentis, in planta visis, scilicet, vbi tendo tibialis musculi postici in naturali situ adhuc reperitur, sermo erit. Nam, passim aliter quodammodo de his rebus modo acturi sumus, atque *Tract. de Ligamentis* olim fecimus, quod ibi, Tab. II, tam tibialis postici, quam peronaei reclinatus tendo musculi adpareat: nihilominus efficiemus, ut cum illis, quaecunque modo dicturi sumus, facile admodum conciliari cuncta possint. Quare tendo Q, ante vaginam O, et anteriori loco, quam quidem ipse diuiditur in partes, ad se quasi conuergentem, vicinumque, posteriorem pollicis tendinem flexoris musculi brevis P habet, qui super osse cuneiformi tertio, cum parte U vere coit. Cui enim vero vinculoteres ille tendo superadditur, et pergit ad priorem ossis nauicularis partem, tendinisue tibialis postici veluti truncum;

cum; neque tamen ita ad calcis usque tuber iste cedit, sicut plures de huius flexoris origine breuis musculi scriptores arguerunt. Nam post coniunctionem cum U, tendo sinum transit plantae longiorem, viaque obliquiore, sed ita altiore loco fertur, quam quidem aliud ducitur, quod potius eundem in via decussat ligamentum W. Monemus obiter: paulo etiam tenerius W esse, quam Tab. II. l. c. id pingitur. Ab illo loco, vbitendo breuis flexoris musculi pollicis cum U parte conuenit, porro digitum circiter iste profertur; ac demum in carnem abit. Verum tendinis tibialis postici musculi partes, in praesenti exemplo, scilicet S, T, *, et U cognitae fuerunt. Atque aliud vinculum X, obscuriore loco oritur, ac iuxta cuneiforme tertium os procedit, et ad secundum cuneiforme, perinde, ac ad caput ossis metatarsi secundi inde diuertit, et haec ossa neget. Etiam *Tract. cit.* d' est ligamentum, quod tendo peronaei musculi, ipsumque os, quin videatur, noua tabula nostra prohibent; et tale primi, ac secundi ossis cuneiformis, et quidem in sinu reconditum erat in exemplo vinculum; alioque, simili, metatarsi os secundum quoque ad primum cuneiforme adstringebatur. Atque longum calcis ligamentum λ, tam eminentem vaginae partem peronaei tendinis, circum cubiforme os efficit, quam productione sui, veluti lamina, tendinosae hic visae antithenar musculi superficie, late adhaeret, et in eam desinit, fere sicut de ζ vinculo *Tract. cit.* diximus. Deinde, peronaei tendinis ligamentosae, inferior vaginae pars, iuxta, et post ligamentum ε, perinde, cubiforme, ac tertium os cuneiforme, denique ossa metatarsi iungit. Quo spectare propemodum videtur ligamentum, quale ν est; triumque circiter linearum inde interuallo, ac posteriori adeo loco, pariter

aliud ligamentum discernitur, quod ab osse cubiformi transit ad cuneiformis tertii latus, et accessione alia lati calcis ligamenti μ tab. noua augetur. De transuerso ligamento ϵ addimus: eius angustiorem quodammodo dimensionem communiter videri; et paullo priori loco ab tubere ossis metatarsi extimi id prouenire, quam quidem Tract. citat. Tab. II. ipsum educi, ac finiri visitur; quandoquidem, super commissuris trium metatarsi exteriorum ossium, e quibus quartum, et quintum, ossi cubiformi insitunt, idem transire; sed sub musculo interosseo sexto, et septimo, atque sub duobus minimi digiti musculis proferri animaduertitur. Atque haec omnia, sub tendine peronaei, et sublatis musculis exterioribus interosseis, ac postquam aperta, pars vaginae tendinis superior fuit, pernoscere anatome licet. Duplicem quoque partem, posterius, antithenar musculus habet; et quidem amplior vna, ante ligamentum transuersum, tendine suo desinit: contra, ad vaginam peronaei tendinis altera, angustiorue pars musculi pergit; ab cuius posteriori vaginae latere, inde factus alter quoque, ac distinctus tendo radicatur. Sub longo calcis ligamento, et iuxta idem oritur, atque procedit, latum aliud κ , calcis, plantaeque ligamentum. Quod hoc magis panditur, quo breuius idem est; quippe cubiformi, cum latere calcis ossis connectendo, capiendoque isti, ab parte interna destinatur; inde vero quodammodo etiam ad loca vicina, e. g. ad os cuneiforme tertium pergit, imo pluribus insinuatur ossium commissuris, et ad eorum latera ossium cedit, quae magis visui se subduxerunt. Partitiones tendinis peronaei in exemplo fiunt, sicut Tab. II. l c. eae cognoscuntur; et pars α interosseo primo innectitur musculo, et ita procedit. Tandem ligamentum ζ , quod etiam transuersum diximus, id neque Tab.

*Tabula plantae humani pedis interosseorum
musculorum, et ligamentorum, arte
distinctorum, et siccorum.*





Tab. II, neque noua pingi satis potuit; sed membranofam, hoc quidem loco, ac pinguem, et ampliorem, perinde, atque ligamentosam notat obductionem, primorum scilicet muscularum interosseorum: deinde vero ipsum declive visitur, et caput metatarsi ossium, commissuris insinuatur; itaque omnium, aliter compactorum, exigue nexus id augere existimatur.

Tabulae plantae pedis humani interosseorum muscularum, plurimumque vinculorum, arte anatomica distinctorum, et siccorum, breuis expositio.

- A *Malleolus tibiae internus.*
- B *Fibulae os*
- C *Facies ossis tibiae posterior*
- D *Protuberantia tibiae ossis*
- ** *Tuber tali ossis*
- E *Chorda Achillis*
- F *Ligamentum plantare reflexum subcutaneum*
- G *Vaginae, tibialis musculi postici, et perforantis, tendinum pars, tanquam continuatio ligamenti H visa, et, quae ad tali ossis tuber adhaeret.*
- H *Ligamentum tali ossis calcisque internum, sub quo tendo flexoris, longi pollicis musculi, per viam L progreditur.*
- I *Tibiae malleoli et tali ossis, calcisue, seu pedis articuli ligamentum rectum internum.*
- K *Pedis articuli ligamentum obliquum internum.*

L Vaginae species, per quam dicitur tendo flexoris, pollicis longi musculi.

M Tuber calcanei ossis internum.

N Cartilago fibrosa, quae tali ossis ceruicem, et calcanei internum tuber, perinde ac nauicularis ossis superficiem connectit.

O Via Tendinis tibialis musculi postici Q, e naturali situ reclinati.

P Tendinis pars flexoris pollicis breuioris, anterius hac litera primum notatur: deinde etiam posterius, eadem progressus significatur tendinis, ubi cum U, ligamentosa productione prima Q tendinis, coniuncta fuit; unde componitur ligamentum ossis nauicularis et cuneiformis tertii ossis posterius.

Q Tendo tibialis musculi postici

R Vaginae, tibialis musculi postici tendinis ligamentosae, inferior pars, scilicet, quae sub capite ossis tali extenditur, et nequit altiori loco calcis, et nauiculare os, et cubiforme.

S Portio maxima tendinis tibialis postici, sive ligamentum ossis nauicularis, et cuneiformis ac metatarsi ossis primi.

T et * Portiones duae ligamentosae eiusdem tendinis, e quibus haec in tertio cuneiformi osse subsistit: ista vero altiori loco pergit, ab latere tertii ossis, ad secundum tam cuneiforme, quam metatarsi os; sed haec saepius minus ita distincta occurunt.

U Portio ipsius alia, quae cum tendine flexoris pollicis breuioris conuenit.

X Ossis nauicularis, et cuneiformis secundi, ac capitis metatarsi

tatarſi ossis ſecundi ligamentum, quod admodum conditur in ſinu.

Y Oſſis nauicularis laterale, et cuneiformis primi ligamentum internum.

Z Tendo muſculi peronaei longi, tortus quodammodo, et ſublatus; hic cartilaginem oblongam in progreſſu ſiſtit videndam, quae in via propria n ad cubiforme, extuberans hoc loco os applicatur.

α. Eiusdem tendinis pars, instar nerui, ad oſſis metatarſi pollicis priorem partem profertur; verum ea oblique ſurgit ex humiliori loco, et interosſeo primo muſculo innectitur.

β. Eius pars media, et maior, inferiori loco in oſſis metatarſi pollicis deſinens.

γ. Eius pars poſterior in cuneiforme oſſe deſinens.

δ. Oſſe cuneiforme tertium.

ε. Ligamentum reſtum, et transuerſum, ab oſſe cubiformi ſub interosſeis muſculis prolatum.

ζ. Ligamentum pingue et membranofum, quod inſinuatū oſſium metatarſi capitum et cuneiformium commiſſuris: nam illud ζ Tract. cit. ad hoc accedens, ſed firmiter productio vinculi λ est.

η. Via tendinis muſculi peronaei poſtici, ſeu longi.

θ. Tuber oſſis metatarſi exterioris.

ι. Pars ligamenti calcis longi λ praecifa, quae condit tendonem peronaei, et ultra vaginam ad muſculum antithenar pergit; cui ex parte ſuperinducitur.

κ. Ligamentum oſſis tali, plantaeque latum.

λ. Ligamentum calcis, plantaeque longum.

$\mu\mu.$ Productio ligamentosa lati calcis plantaeque vinculi duplex.

v. Ossis cubiformis, et cuneiformis tertii ligamentum, ab vaginae peronaei tendinis fundo natum.

$\xi.$ Musculus transuersus Casserii.

o. Musculus abductor pollicis.

$\pi.$ Musculus flexor minimi digiti.

$\varrho.$ Tendo flexoris pollicis in vagina.

$\sigma\sigma.$ Offa duo sesamoidea pollicis.

$\tau.$ Ligamenta articulorum lateralia.

v. Tendo flexoris pollicis musculi latecens.

x. Tendines digitorum flexores in vaginis ligamentosis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Musculi interossei: et ex his quatuor priores, melioris habenda distinctionis caussa, praeceteris, ex naturali situ suo, videntur moti.

